

1498 peditissima reddiderat, adduci non potuerunt, exceptis levioribus minoribusque aliquot, quæ tamen ipsa vix ægreque sunt perducta. quibus cum nihilo secius Livianus castellum Orniam obsidens, cui castello milites erant ducenti præsidio, brevi spatio cepit. Eo digressus ad castellum Qualianum castra posuit. oppidani casu Orniensium permoti se celesteriter dediderunt. itaque duobus captis castellis, cum pluviae continentes omnia itinera illuvie fœdavissent, Bibienam rediit. Tædet me ejus belli leviora consecrari: quis enim legat sine fastidio singula, præsertim si ad rerum exitus, ut plerunque fit, tantummodo properet? sed mihi facile veniam omnes homines datus puto, cum scierint illud me assequi hoc scribendi labore vel cum primis cupere, ne cui videar publice gesta meorum civium, quæ nihil habeant dignitatis, silentio dissimulavisse.

Aternia vi-
cus & mons.

Hostibus post hæc propter Pauli adventum ad se se (jam enim is in Clusentinos fines venerat) magnopere confirmatis, in Veneto exercitu de ducendo bello ducibus diversa sentientibus, Senatus anni exitu decrevit, uti Ubaldus cum parte copiarum legatoque Bibienæ in hybernis se contineret, reliquam Livianus partem ad Averniam hybernorum causa deduceret. Is abest vicus a Bibiena septem millia passuum, monti vastæ crepidinis impositus, Francisci in deorum numerum recepti mora atque domicilio celeber. Tum ut militum duo millia in Ubaldi finibus conscriberentur, ad eosque mitterentur præsidii hybernorum causa, eodem Senatus consulto constitutum. Liviano etiam, propterea quod equites illius octoginta Orniæ præsidio relicti, ab hostibus furtim introducitis capti fuerant, pecunia est amissis sarcendis a Senatu dono tradita. Ante autem quam hæc ita fierent, Ramberti suasu, qui diceret, si sibi exercitus tribuatur, in Vallum stagni sibi finitimam, quæ in Florentinis esset finibus, se irrupturum; qua capta priorem ad exercitum & commatus supportari, & copiæ submitti facile possent; Brixia equites cum præfectis septem evocatos, Joannem Polum Gradonicum cum Græcis, quibus prærerat, equiti- bus,